

CIRCARIA HIBERNIAE

Nullibi forsā praeter Hungariam et Frisiam, furor antimonasticus tantopere saeviit, omnibus reliquiis tam in scriptis quam in monumentis nos destituens, quantum in Hibernia. Rubricam „Archivalia“ hac in Circaria omittimus, quia reapse supersunt nulla, praeter aliqua generalia, in quibus monasteria nostra passim occurrunt, tria circiter documenta, canoniam Woodburn respicientia, ac nonnulla circa reliquas e tempore suppressionis saeculi XVI¹⁾. Archiva monasteriorum proprie dicta perierunt omnia. Celebres sunt in Hibernia varii Annales, de quibus vide infra apud Fontes. Sed cum passim prostent de illis transscriptiones tantum mutilatae temporis recentioris, hi Annales, quamvis partim originis monasticae, historiam profanam potius illustrent quam ecclesiasticam. Praeter elogium Clari Mac Mailin, de quo audiemus infra, pauca tantum de Ordine nostro continent. Quod valet a fortiori de perpaucis reliquis fontibus contemporaneis historiae mediaevalis huius insulae, quae supersunt. Ergo circa multas quaestiones redigimur ad coniecturas, et manent varia problemata quae solvere nequimus, nisi inopinate inveniuntur fontes hactenus absconditi.

Saeculo XVII, Ware compilavit materiam satis tenuem de monasteriis Hiberniae ex fontibus, quae hodie pluries non iam subsistunt. Hugo, Annalista noster, Waraeo est usus tamquam unico fonte, idem fecerunt, parum adaugentes materiam, anno 1722 Allemand, 1762 Harris et anno 1786 Archdall. Pauca praebent hi omnes, saepe dubia, et caute semper legenda, quae usque ad nostra tempora nec emendata sunt nec aucta, nisi per Grattan Flood (1913), nec ipsum quoad omnia fide dignum, et nullos fere fontes afferentem.

Indoles gentis, et evolutio politica iam medio aevo effecerunt, ut fata Ordinum circa multa secus se evolverint ac in continente, immo ac in Anglia vicina. Hiberni, a saeculo quinto ad fidem conversi, longe maturius plurimis nationibus Europae, habuerunt suam Ecclesiam formatam, suaque monasteria. Religio christiana saeculis VI—VIII, cum reliqua pars occidentis recidisset in barbariem, optime floruit in „Insula Sanc-

¹⁾ Maior pars eorum asservatur in P. R. O. et in aliis Archivis Guberniorum in London et in Dublin.



torum et scholarium“. Nihilominus propter suam reclusionem in insula longinqua in margine mundi tunc noti, manserunt satis barbari et inordinati. Rempublicam proprie dictam numquam habuerunt, sed regnaverunt ibi iure violentiae reguli innumeri, a regibus regionalibus plus minusve coerciti, et semper inter se discordes. Quae omnia versa sunt in peius per continuas invasiones gentium ex Scandinavia saeculis IX—XI. Unde regulus quidam advocavit Anglos in adiutorium anno 1170, qui exinde non cessaverunt, simul cum Scotis, Hiberniam invadere, et rebus eius se immiscere, tunc amicaliter, perfectiorem ordinem Ecclesiae Romanae et culturae continentis imponere studentes, tunc tamquam rudes vastatores. Hiberni evidenter hos invasores habuerunt in odium, simulque omnia quae illi attulerant, et ideo novum ordinem ecclesiasticum, calendarium romanum, et novos ordines religiosos hostiliter oppugnaverunt. Qui ex adverso talibus faverunt — quod fecerunt non pauci, inter quos Clarus Mac Mailin — habebantur tamquam anglophili.

Usque ad medium saeculum XII in Hibernia extiterunt tantum per multa monasteria secundum regulas Sanctorum indigenarum: Sti. Columbae, Congalli, Columbani, Galli, et aliorum, quae omnia hoc tempore iam satis erant collapsa. Brevi ante invasionem Anglorum, Stus. Malachias initiaverat reformationem quandam ecclesiae, et introduxerat Cistercienses et Arroasienses²⁾. Post invasionem autem, in diem magis hi „novi ordines“ sunt propagati per nobiles anglonormannos, et per Hibernos culturae illorum faventes. Monasteria regulas antiquas sequentia aut paulatim sunt extincta, aut per ordines supradictos substituta.

Sic erant res, cum Ordo noster insulam ingressus est circa annum 1200. Humilem locum tantum obtinuit, comparatus aliis. Omnes eius fundationes, e triplici radice ortae (Steinfeld, Dryburgh, Prémontré) et in septentrionali parte insulae sitae, peractae sunt praeter Tuam per nobiles anglonormannos vel per asseclas eorum indigenas, scilicet familias de Courcy, de Burgo, de Lacy, Bisset, et praesertim per Clarum Mac Mailin. — In catalogis antiquioribus, inter annos 1270/90 redactis, monasteria Hiberniae, una cum Fearn in Scotia, formant Circariam „Scocie“. Ab anno tamen 1290, dempta Fearn, Circaria iam vocatur „Hybernie“.

Habemus impressionem, tres sectiones extitisse in Circaria nostra, valde distinctas quoad originem et evolutionem. Prima est Tuam cum filiis suis. Haec abbatia videtur esse prima fundatio Ordinis in Hibernia.

²⁾ Congregatio Canonorum Ord. Sti. Augustini de Arrouaise habuit in Hibernia 26 capitula cathedralia et permultas alias domus. Cf. P. J. DUNNING, *The Arroasian Order in Medieval Ireland*, in: *Irish Historical Studies* IV (1945) 297/316, et D. LAWLOR, *St. Bernards Life of St. Malachy*, London 1920 (Soc. Prom. Christ. Knowl.)

peracta a regulo quodam indigena, inter annos 1170 et 76, e Steinfeldia matre genita. Secunda est sectio Ultoniae. Monasteria ibi sita, Carrickfergus et Dieulacresse, ab abbacia scotica Dryburgh annis circiter 1200/05 per nobiles anglonormannos fundata, et in posterum ut putamus, in unam abbatiam Woodburn coadunata sunt. Nullum habemus vestigium praeter indices, ea communicationem ullam cum reliquis monasteriis Circariae habuisse. Tertia sectio est Loch Ce cum filiabus suis, circa annum 1220/24 fundata ex archicoenobio Praemonstratensi per Clarum Mac Mailin, de quo viro vere claro manet quid dicendum. Clarus Mac Mailin O'Mulchonry, vir praestans et sanctus, fuit archidiaconus ecclesiae cathedralis Elphinensis. Videtur multum peregrinasse, et forte esse educatus in exteris regionibus. Forte commoratus est in Gallia, ubi primum contactum habere potuit cum Ordine, tunc (1209/20) a Gervasio Anglo gubernato. Eum fuisse anglophilum, ex multis indiciis liquet. Ordinem nostrum, in patria redux, summo cum zelo propagavit. Ad annum 1251, quo Clarus obiit, ALC habent sequentia: „Clarus Mac Mailin, archidiaconus Oilfinnensis, vir providus et discretus, qui carnem suam jejuniis et orationibus macerabat, qui pauperes et orphanos defendebat, qui patientiam et coronam observabat, qui persecutionem a multis propter iustitiam patiebatur, venerabilis fundator monasteriorum Sanctae Trinitatis per totam Hiberniam, et specialiter fundator monasterii Sanctae Trinitatis apud Loch Cé, ubi locum sibi sepulturae elegit, ibidem in Christo quievit sabbato Dominicae Pentecostes, cuius animae propitiatur Deus . . . in cuius honore ecclesiam de Rinn Duin, et monasterium Ss. Trinitatis apud Loch Uachtair, ecclesiam Ss. Trinitatis apud Ath Moighe, ecclesiam Ss. Trinitatis apud Cill Raiss aedificavit.“ Causa, cur persecutiones passus fuerit Clarus, qui specialem devotionem habuit erga Ss. Trinitatem, ex supra dictis elucet.

Clarus coenobia aliorum Ordinum condidisse nobis ignotum est, eum fundasse „omnia monasteria Smae. Trinitatis in Hibernia“ est exaggeratio. Abbatia Tuamensis, eodem patrocinio insignita³⁾, ante eum ab aliis est fundata. Tamen constat eum fuisse fundatorem abbatiae de Loch Cé et ecclesiarum ab illa dependentium. Quaeritur, quo anno coeperit hanc suam actionem. Secundum Archdall, fundatio de Loch Cé, quae est quasi „lapis angularis“ in hac Circaria, peracta est anno 1215. Annales annum foundationis reticent. Terminum post quem habemus in Epistola Gervasio

³⁾ Nisi forte — quod est possibile — patrocinium, primitus sub invocatione alius cuiusdam sancti, ab ipso Claro sit mutatum. Notandum est tamen, per plures domus religiosas omnis generis in Hibernia fuisse dedicatas SS. Trinitati.

Angli, abbatis Generalis⁴⁾, quae secundum Cheney conscripta est inter annos 1216 et 19⁵⁾. Gervasius dicit in ea, canoniam Tuamensem esse unicam, et quidem languentem domum Ordinis in Hibernia. Si Loch Cé tunc iam extitisset, profecto Gervasius, de statu Ordini satis instructus, non omisisset mentionem eius facere, et forte Clarum nostrum, probabilius ei notum, laudibus exaltare. Terminus ante quem existit in AConn, qui anno 1224 incipiunt, et qui pariter foundationem illius praeclarae canoniae, si post hoc datum accidisset, memorassent utique.

Susplicari licet, Clarum per reformationem abbatae Tuamensis impulsam, Praemonstratenses advocasse in Loch Ce, et quidem paulo postea. Ergo fundatio de Loch Ce videtur esse peracta inter annos 1217 et 24. Zelus Clari Circariam egregie auxit, et novam vitam et spiritum gallo-praemonstratensem ei insufflavit, quin tamen influxum eius ullum in duas canonias Ultonienses, et immo in Tuamensem filiisque eius invenire valeamus.

Quaeritur nunc, numquid fuerint asceteria monialium in hac Circaria. Secundum Grattan Flood, ibi erant duo: Baile Mor, et Cill na Trinoide.

⁴⁾ HUGO SAM Ep. Nr. 73, cf. KIRKFLEET p. 261. Gervasius abbas scribit ad abbatem Viconiensem: "... Lator praesentium Isaac canonicus ecclesie sancte Trinitatis in suburbio metropolis Tuamensis, quae sola nostrum Ordinem in Hibernia proficitur, venit nuper ab extremis illis terrae finibus Praemonstratum, ab abbate suo missus in Franciam, causa gallici idiomatis addiscendi, et videndi disciplinam Ordinis et rigorem, quem in ecclesiae sua forte propter raritatem fratrum et gentis illius barbariem non videret. Placuit autem nobis satis haec illius intentio, quae tamen multo amplius placuisset, si competenter vestitus nobis oneri non venisset. Anno siquidem praeterito, circa adventum Domini, quando hiems erat asperior, venerunt ab eadem ecclesia Praemonstratum tres fratres, singuli singulas tunicas habentes, et illas quidem vetustate tenues, textura subtiles. Venerunt autem, ut libros Ordinis et ecclesiasticos et secundum usum nostrum conscriptos, ad propria reportarent. Oportuit igitur, ut curarem eorum succurrere nuditati, et multiplici eorundem indigentiae subvenire. Cum igitur hoc anno fuerimus gravati et illis, et aliis septem hospitibus, quibus omnibus provideri oportuit in vestitu, nec sufficiant nobis vellera ad omnes, qui veniunt, vestiendos, non valentes soli onus Ordinis sustinere, dictum Isaac ad vos mittimus, rogantes et mandantes vobis, quatenus illum detineatis ad tempus supplentes ex reliquiis fratrum vestrorum suorum vestium paucitatem, et solantes eum nihilominus tamquam hominem in claustris arctitudine vel Ordinis rigore non nutritum."

⁵⁾ CHENEY, *Gervase, Abbot of Prémontré* (*Bulletin John Rylands Libr. Manchester* 1950 XXXIII) p. 34. Quoad silentium Gervasii de duabus canoniis in Ulster vide infra notam sub Woodburn.

Primum a Waræo designatur tamquam parthenon Ordinis nostri, quod tamen neque ab Annalibus hibernicis, neque ab aliis documentis probatur. Fieri autem potest, moniales Cistercienses, quae una cum canonicis (O. Praem vel O. S. A.) a saeculo XIV ibi occurrunt, primitus fuisse Praemonstratenses. Si hoc admittimus, facile explicanda est earum origo. Certe venit prima turma earum ab exteris, et quidem non ex Scotia, ubi nullus extitit parthenon Ordinis, multo minus autem e Praemonstrato, quod monialibus tunc temporis minime favebat, easque suppressere iussit in universo Ordine. Nil restat nisi Steinfeld. In circaria enim Westfaliae sorores magno erant in honore, canonicos longe superantes numero, et Steinfeld omnibus suis foundationibus usque ad annum 1176 coetum earum solebat adiungere. Forte hae moniales statim collocatae sunt in Baile Mor, forte initio debebant in vicinitate abbatae Tuamensis, etsi illa vix fuerit monasterium vere duplex. Quomodo hae moniales tunc venerint in Baile Mor, coniecere tantum possumus⁶⁾. Alter Parthenon, Cill na Trinoide, videtur esse adinventio Grattan Flood, existentia enim eius nullo argumento potest probari.

Maximum problema, hucusque non elucidatum, constituunt prioratus et ecclesiae dependentes in hac Circaria. De pluribus enim non constat, utrum fuerint merae ecclesiae incorporatae, ab uno canonico rectore administratae, an domus vere formatae, scilicet cellae seu prioratus dependentes. Hinc etiam numerus domuum nostrae Circariae est incertus.

Catalogi Ordinis nostri omnes sex tantum canoñas ei attribuit: SS. Trinitas (Tuam) ut domus primaria, Grafergos, Diex la Croisse, Kelvemenach, Loke et Ballineval, de quarum igitur existentia tamquam domorum virorum sui juris nullum iam viget dubium. Attamen indices omittunt Enach Duin et Loch Uachtair, quas certe fuisse domus formatas pariter dubium non est. Registrum Tychfeldense⁷⁾, in fine saeculi XIII conscriptum, dicit: „monasteria habet Ordo noster in Regno Angliae 30, et 2 monialium, in Wallia nisi unum tantum, in Hibernia 13, in Scotia 6.“ Numeri quos habet registrum pro Scotia, Anglia et Wallia, ad amussim traduntur, praeterquam respectu monialium in Anglia, quas hoc tempore tria asceteria habuisse constat. Ergo, cum vix possimus dubitare de veracitate illius registri, quaenam sunt haec quinque monasteria supernumeraria quae affert? — Archdall enumerat decem monasteria in circaria nostra. Ignorat tamen Cill na Manach, Dieulacresse vero et Carrickfergus redigit in unum, sed habet cellas Ath Muige, Cill na Trinoide, Gaillimh et Cill Raiss, quae erant usque modo ignotae. Atqui constat ex

⁶⁾ Cf. hypothesim nostram hac de re infra apud Baile Mor et Tuam.

⁷⁾ A. GASQUET, CAP (cf. supra apud Circ. Angliae), I 251.

ABoyle, Athmuige fuisse verum monasterium dependens a Loch Ce. In ALC et in Ann. Conn. quidem Cill Raiss et Ath Muige sunt inserta tamquam „ecclesiae“ a Claro Mac Mailin exstructae, de reliquis vero in nullis aliis fontibus Medii Aevi, ne quidem in Litteris Papalibus, verbum invenimus. Sola Gaillimh occurrit ibidem bis saeculo XV, sed tantum: ut nuda capella ab uno canonico administrato. Cill Raiss pariter memoratur, sed absque ulla connexionione cum Ordine. In concessionibus reginae Elisabeth anni 1594 Ath Muige, et Cill na Trinoide designantur tamquam „cellae“ ad abbatiam Loch Ce quondam spectantes.

Certum est, canonicas Hiberniae habuisse ecclesias per religiosos administratas. Ex Litteris enim Papalibus discimus, plures extitisse ecclesias, „a canonicis Ord. Praem. serviri solitas“, sed simul apparet hunc modum administrandi fuisse sat irregularem⁸⁾. Non videntur extitisse parochiae permanentemente administratae, praesertim cum a saeculo XV Curia Romana, provisiones omnium beneficiorum sibi reservans, illa promiscue dederit sacerdotibus omnis generis.

Ecclesias supradictas (Cil Raiss, Gaillimh, et Cill na Trinoide) revera saeculo XIII fuisse cellas vel prioratus, verisimilitudine non caret. Haec species domus minutae sed formatae, pluries absque jure parochiali, invaluit apud Circarias nostras in Gallia et in Anglia saeculo XIII. Sed probabiliter hoc systema iam saeculo sequenti erat derelictum, deficiente enim numero sacerdotum, canonicae in cellis istis iam non exposuerunt nisi unum sacerdotem tantum, administratorem bonorum, et titulo prioris insignitum. Forsitan evolutio talis fuit etiam in Hibernia.

In Loch Ce, fundatione Clari, ab ipso probabiliter directa, et corona quatuor vel plurium filiarum circumdata, quae sicut mater ipsa, tempore Clari videntur fuisse prioratus tantum, tunc viguit systema sat insolitum in Ordine nostro, ut videmus ex ABoyle ad annum 1232: „Hoc anno per Clarum Elfenensem arcediaconum inceptum est monasterium canonicorum regularium apud Ath Mugi, assumens secum canonicos de Insula Sancte Trinitatis, ita ut conventus Insole Trinitatis utrique serviret monasterio alternatim, ut qui uno anno servirent in uno, alio servirent in alio.“ Ex quo apparet intentio Clari: ex canonica matre fratres alternatim mittuntur in varios prioratus, qui illi fere aequiparantur, sicut est de more, mutatis mutandis, in ordinibus mendicantium. Quae consuetudo certe etiam in Loch Uachtair, ac probabiliter etiam in aliis prioratibus adhibita, in decursu saeculi XIV paulatim erat desueta, ex penuria sacer-

⁸⁾ P. L. X 222: „a certain vicarage or chaplaincy in the church of Annadown, wont to be assigned to secular clerks, and sometimes wont to be governed by Premonstratensian canons . . .“ Anno 1615 tamen dicitur, septem parochias spectasse quondam ad abbatiam de Loch Ce (Royal Visit. Book, v. infra)

dotum. Tantum in Loch Uachtair forte adhuc saeculo XV erat parva communitas ad nutum abbatis de Loch Ce.

Tamen fieri potuit, hoc „novum systema“ a Claro introductum, violento modo iam prius fuisse turbatum. Ordinem nostrum fuisse oppugnatum tamquam extraneum, et Clarum subiisse persecutiones, iam supra audivimus. Notabile est, hoc eodem tempore systema anglonormannicum, quod instituerant Cistercienses abbatibus suis in Hibernia occidentali, misere corruisse. Maximae consecutae sunt perturbationes, abbates complures sunt necati, monasteria partim suppressa vel ad statum „grangiatic“ reducta, omnes filiationes hibernae ad abbates Angliae translatae⁹⁾. Est possibile, minori tamen gradu, post mortem Clari etiam Ordini nostro talia accidisse. Magna est probabilitas, monasteria Baile Mor, Cill na Manach, et Carrickfergus auctoritate Capituli Generalis a dignitate abbatiati ad statum prioratus fuisse reducta.

Tamen vix credere possumus assertioni Registri Tychfeldensis, in Hibernia extitisse 13 domus Ordinis. Si enim omnes „cellas“ nobis notas ex Archdall et Grattan Flood admittimus, si recte inter Dieulacresse et Carrickfergus distinguimus, habemus 12 monasteria. Ut tertium decimum attingamus, necesse esset admittere etiam aut Rinn Duin, aut Sligo, ecclesias quas secundum ALC et AConn Clarus noster extruxit vel construere intendit.

Sed nihilominus manet difficultas: si Registrum cellas huiusmodi admittit tamquam monasteria, quare non idem facit quoad Angliam, ubi hoc tempore varii prioratus ut domus vere formatae extiterunt? Ergo censemus rem ita se habere: Registrum, sicut catalogi Ordinis, non respicit nisi monasteria virorum sui juris, quorum tamen numerum dat accuratius illis. Numerus xiiij potest esse falsa lectio vel error copistae, recte deberet esse viij vel viiij, qui numeri, gothicis litteris scripti, facile confundi possunt cum xiiij. Septem autem monasteria sui juris saeculo XIII in nostra Circaria extitisse constat: Dieulacresse, Carrickfergus, Tuam, Loch Ce, Cill na Manach, Baile Mor et Enach Duin. Quatenus habuerit redactor registri pro octavo vel nono, nescimus. Forte Loch Uachtair et Ath Muige tunc temporis revera habebantur ut sui juris, sed in confusione continua in hac insula existenti, viguit probabiliter incertitudo hac de re vel apud ipsos religiosos, et res insuper saepius se mutaverunt¹⁰⁾.

⁹⁾ B. GRIESSER, *Registrum Epistolarum Stephani de Lexington*, in *Anal. S. O. Cist.* II 1946, pp. 1/118

¹⁰⁾ Confer infra apud Loch Uachtair, quae dicunt contradictoria Litterae Papales de statu iuridico huius domus.

De historia Circariae saeculis XIII et XIV, quae erant decisiva, praeter ea quae habemus in variis Annalibus, perpauca tantum scimus. Sed aliunde notum est totam vitam ecclesiasticam in Hibernia, saeculo XIV iam ante schisma Avenionense ruisse in peius, usque ad collapsum fere totalem. Influxus Anglorum, qui servaverant ordinem a se ibi introductum, propter bella continua cum Scotis et Gallis diminuit, invaluitque ubique confusio maxima. Cohaesio familiarum (clan) radicitus Celtis innata, ex praelaturis fecit beneficia haereditaria nobilium, plus semel a patre in filium transeuntia, maximum in damnum disciplinae clericalis et regularis. Res saeculi XV per Litteras Papales nobis melius innotescunt, et parum confert ad aedificationem, quod ibi legimus. Curia Romana, ut iam diximus, sacerdotes tum saeculares, tum aliorum ordinum indiscriminatim abbatibus et prioratibus nostris providebat, simul iubens eos ad professionem Ordinis esse admittendos. Praemonstratenses ita facti sunt abbates et commendatarii in monasteriis aliorum ordinum, et vice versa, quod saepius videtur esse factum per simoniam. Finaliter omnis distinctio inter singulos ordines in praxi evanuit, ita ut saepe iam sit incertum, ad quem ordinem unum alterumve monasterium pertinuerit. Transitus ad alium ordinem quemlibet, alibi generatim rarum et extraordinarium quid, videtur fuisse in Hibernia res communis et quotidiana, quod innuunt forte iam ALC ad annum 1250. Annales ibi referunt, Clarum instituisse Praemonstratenses ex Loch Ce in Loch Uachtair, statimque subnectunt: „et idcirco Clarus hoc fecit in Domino, quia Praemonstratenses gaudeant consimili privilegio cum monachis, ita quod ad ullam aliam religionem postea transire possent.“ Quid sit huius incisi nexus logicus cum secunda fundatione de Loch Uachtair, difficile est dictu¹¹⁾.

Monasteria Hiberniae, quorum abbates numquam erant infulati, comparata cum Anglis et Scotis, generatim erant paupera. A saeculo XIV nullam taxam videntur solvisse Praemonstrato. Summa talliarum, quae accurate unicuique canoniae in catalogis post annum 1290 redactis est adscripta, apud Circariam Hiberniae ubique desideratur. Tamen in copia saeculi XVII alicuius catalogi circa annum 1300 redacti legimus: „Talliae non adnotantur ad singulas, sed in principio ponitur, quod in tota hac Circaria quaelibet solvit tres florenos Renenses“¹²⁾.

¹¹⁾ Notandum est, Statuta annorum 1236/38 transitum huiusmodi nullo modo prohibere, sed tantum providere „si postea redierint, non recipiantur nisi per . . . Capitulum Generale“ (LEFEVRE, *Les statuts*, p. 123). Qui passus et in redactiones posteriores Statutorum fuit transsumptus.

¹²⁾ MS Ducrocq, Bibl. Mun. de Laon 538 I 10

A saeculo XIV omne commercium Circariae Hiberniae cum Praemonstrato paulatim videtur cessavisse. Haud mirum quidem. Schisma enim Avenionense, separatio ab Ordine Circariarum Angliae, a quo regno magna pars Hiberniae tunc iam dependebat, sicut et magna distantia sunt causae huius seiunctionis. Praemonstratum, et ipsum saeculo XV satis declinans, non amplius curavit de partibus dissitis, et sic corruptio completa, quam vidimus vigere in hac nostra Circaria ex testimonio Litterarum Papalium, a nullo visitatore umquam fuit correpta. Neque videtur attigisse Circariam Hiberniae reformatio illa, post medium saeculum XV in Circariis Angliae peracta. Richardus Redman, Abbas Shappensis in Anglia, anno 1459 quidem nominatus est „Visitor Ordinis in Anglia, Wallia, Scotia et Hibernia“, sed activitas eius, ceteroquin vigorosa et efficax, videtur fines regni Anglici non excessisse. Quidquid sit, certum est tamen, scandala supra allata nec in hac Circaria fuisse normam. In abbacia Loch Ce, saeculo XV, abbas Magnus Mc Donnchayd, durante regno suo sexagenario fuit egregius fautor artis et litterarum, ut ALC magna cum laude pronuntiant, quod non est signum corruptionis, sed potius vitalitatis. Et Praemonstratenses hiberni habuerunt sua tempora fervoris et prosperitatis, ut a gente tam funditus christiana erat exspectandum. Maximae res gestae a monasteriis sunt illae, quas nescimus et quas nullus chronista notavit.

Initio saeculi XVI Circaria constituit adhuc tribus canoniis: Woodburn, Loch Ce et Tuam. Enach Duin iam antea interiit, et Loch Uachtair tunc vix adhuc erat domus formata. Ab anno 1540, monasteria in parte ab Anglis occupata sita (The Pale), suppressa sunt, scilicet Woodburn et Baile Mor, quod ultimum tamen Ordinem nostrum tunc iam liquisse videtur. Ab anno 1584 Elisabeth regina coepit monasteria etiam reliquae partis insulae suppressere et nobilibus sibi devotis tradere, addita conditione: „si contigit ei possessionem horum bonorum adipisci“, quod fluctuante semper bello, nequaquam erat securum. Anno 1594, omnes domus residuae ita sunt alienatae, et paulo post extinctae.

Grattan Flood dicit ultimum abbatem Tuamensem, Joannem Kieran, anno 1580 Dublini martyrio esse coronatum. O'Flanders idem habet, et Eugenium O'Mulkeran, ultimum abbatem de Loch Cé, dat ei in socium. Revera hi abbates numquam extiterunt, agitur insuper de uno eodemque, et utrum reapse fuerit Ordinis nostri ille martyr, adhuc manet valde dubium. In indice officiali Martyrum Hibernorum elaborato a Commissione canonizationis¹³⁾, invenimus: „27. Joannes Kieran,

¹³⁾ I. E. R. 5th Ser. XI (1918) p. 313

canonicus O. Praem., aut Owny Mulcheran, monachus O. Cist, suspensus anno 1580¹⁴. Edwards¹⁴) adducit in serie martyrum tantum: „Eoin (Mul)cheran O. Cist“, absque mentione alicuius martyris Ordinis nostri¹⁵).

De tota Circaria hodie nihil superest praeter modicas ruinas ecclesiarum in Loch Cé, Loch Uachtair et in Cill na Manach, omni decore carentes. Nostro tempore tamen ordo revixit in Hibernia. Abbatia Tongerloensis in Belgio anno 1924 fundavit prioratum Kilnacrott in Co. Cavan, non longe a Loch Uachtair. Quae domus iam bene floret.

Nota. Omnia nomina propria damus in lingua gaelica, etsi communiter in anglica tantum sint nota. Pronuntiatio gaelica est difficilis nimis, nec in gallicam commode transscribi potest phonetice. Forma autem anglica nominum recte prolata, generatim pronuntiationi gaelicae bene consonat. Notetur etiam quod in gaelico idiomate ce et ci profertur tamquam ke et ki.

¹⁴) R. D. EDWARDS, *Church and State in Tudor Ireland*, London 1935

¹⁵) Confer tamen quod supra diximus de incertitudine et negligentia, tunc temporis circa attributionem ordini cuidam vigentes! Notandum est, Chrysostomum Vandersterre iam anno 1625, id est 45 annis post factum, martyrium Joannis Kierani abbatis in opere suo „*Natales SS. O. Praem*“ exaltare laudibus. Dicit eum fuisse Ordinis nostri, et ex stirpe clarissimo Tyrconnell.

FONTES

- ABoyle *Annales de Boyle*. Asservantur in Brit. Mus. Cotton MS Titus A XXV. Ed. A. M. FREEMAN in „*Revue Celtique*“ voll 41—44 (1924/27) separatim Parisiis 1929. Nota introductoria a R. FLOWER, ibidem vol. 44 (1927) pp. 339/44¹⁶⁾
- AConn. *Annales de Connacht*, ed. A. M. FREEMAN, Dublin 1944
- AFM *Anala Rioghachta Eireann (Annals of the Four Masters)*, 7 vols ed. J. O'DONOVAN 1848/51
- ALC *Annales de Loch Cé*, rectius Liber familiae Mac Diarmada (1014—1590), ed. W. M. HENNESSY, 2 voll., London 1871, nova ed. Dublin 1939
- Ann. Ul. *Anala Uladh (Annals of Ulster, sive „de Senat“*, Annales Ultonienses 431—1131, 1151—1541) ed. W. M. HENNESSY et B. McCARTHY, 4 voll. Dublin 1887/1901
- De Annatis *De Annatis Hiberniae* 1400—1535, vol. I Ulster, ed. M. A. COSTELLO, Dublin 1912
- CDI *Royal Letters, Calendar of Documents relating to Ireland* 5 voll. 1171/1307, London P. R. O. 1875/86
- C. St. P. *Calendar of State Papers relating to Ireland during the Reign of Elizabeth* 1574/85, 11 voll. London 1867 sq.
- Fiants Eliz. *Reports of the Deputy Keeper of the Public Records in Ireland, Appendices: Fiants of Elizabeth*, Dublin 1870 sq.
W. KING, *Collectanea. Church History of Ireland* (Vol. XIII of the Harris MSS in the National Library, Dublin)

¹⁶⁾ Fons iste praecipuus primo continet Annales abbatiae de Boyle (O. Cist., non longe a Loch Ce distantis) ad annum usque 1228, in quibus vix est insertio de Praemonstratensibus, sed permulta et magni ponderis de Boyle et de ordine Cisterciensi. Ab anno 1228, ab alia manu prosequuntur, et exinde est vice versa. Reliqua nempe usque ad finem (1257) videntur esse archetypus, mutilatus quidem, Annalium de Loch Cé, et in hac abbatia redactus. Textus est, ut asserit Flower, antiquior et fide dignior aliis annalibus infra allatis, qui Annalibus his nitentes, partim eadem ad amussim proferunt. Quod sic tantum explicare possumus: in Capitulo Generali, Cistercii anno 1227 celebrato, abbas de Boyle tamquam rebellis deponitur, anno sequenti per visitatorem anglum Boyle submittitur paternitati abbatiae Claraevallensis in Gallia (GRIESSER, art. supra citat). Nescimus, quid, hoc nuntio allato, in Boyle acciderit. Sed fieri omnino potuit, partem communitatis, de hisce indignatam, emigrasse in Loch Cé. Facti sunt deinde ex monachis canonici Ordinis nostri, et Annales sui monasterii, quos secum attulerant, persecuti sunt tamquam Praemonstratenses (P. A. Gwynn S. J.)

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

Taxatio *Taxatio Ecclesiarum Hiberniae 1302/07*, in: CDI (ut supra), ed. H. S. SWEETMAN 1886, pp. 202/323, cf. Nr. 2207
A. THEINER, *Vetera Monumenta Hibernorum et Scotorum historiam illustrantia*, Romae 1864

